



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

formâ commendatas, Senatores miserant, cum iis Principes choreas ducunt, omni comitatu sequente. Senatus domum ex adversa regione ad lupos, curiæ ponte junxerat, ibi hi saltus peracti. Interim in ipsa Curia Principum sumptibus epulum paratur: nihil vel quod auget delicias, vel demulceret Erfurtensium animos, omissum. Gravidus auro abacus, dapes omnis generis fructibus, & saccaro peregrinæ regiones instruxerant. Ipsi Principes de majestate sua, ad familiaritatis humilitatem descenderant. Continuata hæc festivitas aliquot diebus, donec prævio urbis applausu de re benè acta, Duces cum apparatu ad sua discederent. *MCCCCXCVII.

A nupero incendio templa denuò surrexerant, quibus de novis campanis providendum, & quoniam eâ, quæ è turri B. M. Virginis violentiâ ignis in cineres fluxit, majorem Germania non viderat, collecto iterum ære nova prioris æmula, † Major câpana Maria gloriofa funditur. & quæ famam ejus continuaret, per Eccardum Kempensem funditur. (a) Prodiit ingens æs campanum, ducentis septuaginta quinque centenariis grave: mox per Archiepiscopi suffraganeum in Thuringia, Doctorem de Laspei sacratum, is ne operi admirando speciosum nomen deesset, Maria gloriofa benedixit.

Familiaritate Saxonum ausus civium in Moguntiam animati. Ut verò hæc info-

L 4

len-

(a) Anon. Chron. Erfurt. MS

VII

*Concordata
Bertholdi.*

*Iterum dis-
sensiones.*

** MD.
Edictū Ma-
ximiliani.*

*Difficilis ad
edendum
subditorum
numerum
Civitas.*

lentiam sifteret, diem indicit, quo recenter in controversiam tracta dirimerentur. Hinc ꝑ Concordata Bertholdi, quibus juramentum Senatûs, & civium renovatur. Cyriaciburgi munitio rati habetur, pluraque indulgentur, ut colligi facillè possit. Civitati fœderibus, & vallis munitæ multa conniveri debuisse, imperiales tamen collectas, quæ tunc indicebantur, & quidem tertiam ArchiEpiscopatus quotam libenter contulit. Ast mox iterum ꝑ dissensiones: (a) Senatus in gratiam avari mensuram vini minuerat: Non tulit Bertholdus civibus suis novum hoc onus imponi, severissimis igitur mandatis abolitionem imperat. Senatus tandem ægrè licet, mensuram pristinam restituit. * Maximilianus Cæsar, ꝑ quadrigeni subditi stipendiariû adversus Turcam alerenti per imperium edixerat, (b) Elector Senatui, numerum civium & subditorum ederet, mandat. Ille ꝑ propalare vires periculosam rem esse reponit, quam & Urbs & Electoratus celare debeat. Si civium & subditorum numerus, ac per hunc Reip. vires prodantur, cuilibet palam futurum, quâ potentiâ evertere Civitatem possit. Majori formidine ignota oppugnari. Elector metum intermitteri jubet, non propalari, quæ Domino creduntur, silentii fidem sanctam fore, missurum se

(a) Dicta Chronica & alia documenta publica.

(b) Ordinatio Regimini Anno MD. tit. von Soltner.

copias Cæsari sub Electoratûs vexillis, nec illum, quot Erfordia, Rhingavia, vel aliud Electoratûs membrum sustentet, indagaturum. Acquievit his Civitas, & postulatis Bertholdi se submitit. * Profusior erat Civitatis æconomia, quam ut annui redditus expensis sufficerent. Mutuæ hinc inde acceptæ pecuniæ, & cum iis usurarum onera, Novis ꝑ collectis civis onerabantur, carnibus, vino, panivectigalia indicta. Irritavit hoc Archiepiscopum, & subditos: hi novum onus, ille superioritatem suam invadi querebatur. Attamen Elector exoratus postea consensit. At non suffecit malo remedium, ideo in turbas & motus, quos dicam, erupit. * Georgius Comes Hennebergius per annum in hac Universitate literis incubuerat, (a) eum Academia Rectorem sibi præficit: refero hunc, non quod solo isthoc illustri Rectore conspicua fuerit Universitas; nam multos Principes, Comites, & Barones Rectorum Catalogus recenset, sed quod Spangenbergius ingenti falso Carnificem eum fuisse, Lutherum allegans, asserat, & feminarit calumniam in eos qui dicta ab aliis sine examine excipiunt. Lutherus sericarium fuisse textorem ait, pari calumniâ, quam & Universitatis nostræ matricula, & Coloniensis

*MDI.

Novas Se-
natus colle-
ctas impo-
nit.

*MDVII.

(a) *Catalogus Rectorum Universitatis Erfurt. editus à Dedekindo An. 1614. Spangenbergius Chron. Henneb. lib. 5. c. 44. Hoc de Rectore videantur scripta ab Universitate sub Apologia & defensionis nomine vulgata.*

niensis atque Argentoratensis, Cathedralis Ecclesiæ, quarum Comes iste Canonicus fuit, refellunt: ipse Spangenbergius alibi hunc Georgium Comitem agnoscit.

VIII.

Accessit aliud facinus, quod unâ cum superioribus ingentes postmodum turbas concitavit. Supremus plebis tribunus seu primus Quatuorvir Henricus Kelner imperialem præfecturam Kapplendorff (a) † octo millibus florenorum Saxonibus oppignoraverat, nec Senatu, nec civibus consultis. Illi arcem cum pagis occupant: nemo erat, qui increpare temeritatem auderet, imò nec querere licuit, quod ignorabat civitas, an vendita, vel oppignorata præfectura esset? * Non collectæ † nec vectigalia prodigæ dispensationi sufficiebant; fides insuper ruentis ad inopiam Urbis apud externos defecit. Ipsi civis precibus violentis ad credendum inducti; sed hæc omnia parum ad levamentum ad correctionem mali nihil conducebant. dum fons hujus, pessima reddituum administratio non emendabatur; eo miserum creverat, ut occultari amplius non poteret. Instabant creditores plerique potentes, hic Capitalis, alius usurarum, ille prætereà causatorum sumptuum exsolutionem urgebat. Vacuo interim arario

*Kelnerus
clam Saxo-
nibus Kap-
plendorffii
oppignorat.*

* MDIX.
Onus æris
alieni urbi
premit.

a) Anon. Chronica Erfurtensia MS. & varia documenta publica in Archivis extantia hæc & sequentia abundè referunt.